

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Alcibiades primus, vel, de natura hominis

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)



etiam aduentitia haec sunt : num videtur istorum aliquod natura inesse ? M. E. Mihi nequaquam . S. O. C. Nonne postquam natura non insunt , neque boni etiam viri natura erunt ? M. E. Non sane . S. O. C. Quoniam vero nequaquam natura , Vtrum doctrina considerabamus ? M. E. Ita . S. O. C. Et doctrina comparabilis visa est , si sit prudentia virtus ? M. E. Est . S. O. C. Et si comparabilis per doctrinam prudentia quoque visa est ? M. E. Prorsus . S. O. C. Ac si praecipuos essent , doceri posse : si non , minime ? M. E. Sic est . S. O. C. Et praecipuos eius esse cōi consensu negauimus . M. E. Negauimus . S. O. C. Conclufimus itaque , neque doceri illam , neque prudentiam esse ? M. E. Conclufimus . S. O. C. Præterea bonum ipsam esse concessimus . M. E. Concessimus . S. O. C. Bonum autem & vtile esse quod recte ducit . M. E. Maxime . S. O. C. Recte denique ducunt duo haec sola , vera opinio atque scientia , quibus homo praeditus dux esse alijs vere potest . Quae enim fortuna contingunt , imperio hominis nequaquam fiunt : quibus autem homo ad rectum dux est , duo haec sunt , opinio vera atque scientia . M. E. Idem mihi videtur . S. O. C. Igitur cum virtus doctrina percipi nequeat , nequaquam scientia est . M. E. Non apparet . S. O. C. Cū ergo duo sint bona atque vtilia , alterum illorum rejicitur , scientia scilicet , neque illa in actione civili principatum tenet . M. E. Non , ut mihi videtur . S. O. C. Non ergo sapientia quadam , neque ut sapientes civiles isti homines Rempublicam administrant : cuiusmodi qui Themistocles temporibus , & quos paulo ante Anytus retulit , extiterunt . Vnde nec ceteros tales quales ipsi sunt reddere possunt , quippe qui scientia nulla hominibus sint praediti . M. E. Ita ut ais esse videtur , o Socrates . S. O. C. Si non scientia , restat ut opinione recta videntes civiles viri ciuitates gubernent , ac haud secus ad prudentiam se habeant quam vates diuinorum furorē correpti . Etenim hi vera quam plurima nūciant , nihil tamen eorum quae loquuntur intelligunt . M. E. Sic esse videtur . S. O. C. Nonne igitur , o Meno , diuinos hominū viros appellare decet , qui mente nequaquam videntes multa tamen ac magna faciunt , & agendo & dicendo disponunt ? M. E. Prorsus . S. O. C. Quamobrem merito diuinos vocabimus , quos modo praediximus vates furentesque ac poeticos homines vniuersos , ciuilemque homines non minus quam reliquos diuinos existimabimus diuino afflatos numine deorum penitus occupatos , quandoquidem Rempublicam dirigunt , multa maximaque dicentes , quae nequaquam intelligunt . M. E. Maxime . S. O. C. Mulieres quoque , o Meno , bonos viros diuinos nuncupant . Et Latonici quoties bonum quandam virum commendare volunt , Diuinus hic vir aiunt . M. E. Et recte quidem loqui videntur , o Socrates , quanquam Anytus hic tibi forte talia loquens succenset . S. O. C. Haudquaquam mihi curae est : cum hoc enim , o Meno , rursus differemus . Si autem nos in oī hac disputatione recte perscrutati sumus , virtus utique nec doctrina neque natura nobis aderit , verum diuina sorte absque mente in eum qui illam sortitus fuerit , influet : nisi forte quis ex civilibus talis existat , ut alium quoque civilem efficere possit . Quod si extiterit , talis hic inter viuentes erit , qualem Homerus ait Tiresiam inter mortuos esse , sic dicens , Inter eos qui apud inferos sunt solus sapit , ceteri vero umbræ volitant . Similiter & ciuis hic ad alios tanquam ad umbras se haberet . Vera enim res , si virtutem spectes , esset . M. E. Optime mihi dicere vide-

ris , o Socrates . S. O. C. Ex hac itaque ratione , o Meno , diuina sorte virtus adesse cuiusque adsit apparet . Veritatem tamen de hoc perspicuam tum denique comprehendemus , cū antequam quo pacto virtus adsit quatur , quid ipsa secundum seipsam sit , inuestigare tentemus . Nūc autem hora iam est , ut hinc alio abeam . Ipse vero quod tibi persuasum est , Anyto huic hospiti tuo uicissim persuade quo mitior sit . Nam si ei hoc persuaseris , Athenienses quoque inuabis .

ALCIBIADES PRIMVS, VEL, DE NATVRA HOMINIS. MARSILII FICINI ARGVMENT.



ANDIDISSIMVS Platonis nostri liber , qui Alcibiades primus inscribitur , Alcibiade ipso venustior , & omni carior auro , quid homo est , quid eius officium docet . Est autem homo , anima rationalis , mentis particeps , corpore vtes . Ex hac definitione illius officium trahitur triformis distributum . Vt scilicet . rationalis anima est ,

in seipsam circulo quodam ratiocinationis sese animaduertendo reflectitur . Vt mensis , particeps in diuinam mentem velut rivulus in fontem suum refuit . Vt vtiens corpore , humanis negocijs gubernandis incumbit . Perfectum igitur & absolutum hominis officium est , primo quidem ut naturam suam aduertat , deinde ab illa tanquam ab imagine & affectu ad diuinam mentem exemplat eius & causam conuertatur . A qua hominis animus illustratus , ipsum bonum , ipsum vtile , ipsum pulchrum , ipsum iustum intelligit , suamque bonum , vtile , pulchrum , iustum perfecte comprehendit . Vnde quid bonum , quid vtile aliorum hominum quibuscumque versatur , quibusque imperat , noscitur . Cumque bonum absolutum , bonum sui , bonum aliorum cognouerit , ad seipsum iam & alium vnumquemque curandum secundum cognitum boni normam debet accedere . Philosophiae studio , moralis , mathematicae , theologiae opus est , ut ad seipsum & ad mentem sui causam redeat . Moralis quippe & mathematica disciplina animum in corporemersum in seipsum restituit , theologia supra se rapit , & extra seipsum attollit in deum . Mentis diuina idearumque cognitio sapientia dicitur . Suū ipsius notitia , & sui suorumque boni vtilisque inuentio ex diuinae mentis intuitu manans , prudentia nuncupatur . Prudentia sane ut bonum intelligit , humanas actiones tam publicas quam priuatas ad finem optimum refert . Vt vtile , per comoda , media , propriasque vias , quibus ad finem perueniat , dirigit . Vt pulchrum , quis ordo , quis modus in hoc progressu quasi quodam itinere sit seruandus instituit . Vt iustum , quod distinctio singulorum operum , quae obseruantia imposti ordinis , quod supplicium transgredientis , quod primum legem huius itineris obseruantis praescribit . A philosophia igitur ad sapientiam , a sapientia ad prudentiam fit accessus : prudentia vero magistra vitae disciplinae sui cuiusque rei familiaris , & respicitur hinc homo per prudentiam gubernat , domus autem & ciuitas per amicitiam publicam , iustitiamque seruantur . Publica amicitiam voco consensione illam qua cuncti sub eadem lege & principe libenter conueniunt , & ad eundem finem respiciunt . Iustitiam publicam vero legitimam distinctionem , qua singuli licet sub eodem principe , & ad eundem finem , hoc est publicum bonum , diuerso tamen tramite proficiunt , variamque officiorum distributionem per naturam & dignitatem vniuersumque a natura & legibus assignatam seruat , proprioque munere sine vsurpatione alieni fungitur . Insunt in hoc dialogo theologiae dictiones duae , ipsum idem , & ipsum vnumquodque . Circa hominem illa significat animam ut ideam , haec autem in corpore . Sed de his latius in commentarijs , quae in decem hos Platonis dialogos scribere iam institui .

SOCRATES, ALCIBIADES.



FILI Cliniae , admirari te arbitror , quod cum primus ipse omnium amare te ceperim , ceteris alienatis , solus in ista benevolentia perseuerem : cumque amici reliqui frequentiori consuetudine tibi assidue molesti essent , ego tot annis ne compellarim quidem . Huius autem rei causa non hu-

Occasio dialogi , in quo introducitur Alcibiades iuuenis pulcherrimus , generosus , diues , habes idole et esse magnorum gestorum , ut ostendetur naturam hominis non esse in his partibus .

Duo recte ducunt, vera opinio atque scientia.

Qui bonus vir est, is diuinus appellatur.

Vnde adsit virtus.



manum quippiam: sed vis demonij repugnans quadam fuit, cuius potentiam in sequentibus audies. Nunc vero cum non ultra repugnet, huc ita profectus sum. Spero autem nec in posterum nobis aduersaturum. Ferè autem toto hoc tempore considerabam quo pacto erga tuos amicos te gereres. Qui quamuis multi atque superbi erant, nemo tamen illorum fuit, quin fastus abs te superatus abiret. Quam uero ob causam illos contempseris, explicabo. *As enim te nullam in re hominibus alijs indigere, quippe quæ tibi insunt, ita esse præclara, ut nec ad corporis, nec ad animi bona cuiusquam egeas. Existimas te in primis procero atque decoro corporis habitu plurimum excellere. Atque id apud omnes constat. Strenuissimo præterea genere ortum te prædicas præ ceteris qui in hac urbe sunt ciuitatum Græcarum amplissima: ex paterno quidem genere amicos atque cognatos esse quam plurimos & optimos viros, qui tibi omnia cum opus fuerit, subministrare possint. At aternos quoque nec his inferiores neque etiã pauciores. Sed multo maiorem his omnibus auctoritatem afferre tibi ad res agendas Periclem Xanthippi filium, quem quidem pater tuus tutorem tibi fratris reliquit, qui non in hac ciuitate solum, quæcumque uult potest, sed in omni Græcia, & in multis etiam ac magnis barbarorum gentibus. Adderem quoque amplissimas tuorum diuitias, nisi te scirem in his minimum omnium gloriari: horum omnium causa fastu elatus, amicos omnes tuos edomisti. Atque ipsi utpote inferiores tibi cesserunt. Neque uero ista te turere. Quamobrem satis scio admirari te, quo animo in beneuolentia tua perseverarim, quam uis sperem de te conceperim, qui ceteris fugientibus ego oïum solus perstisti. ALC. At istud forte nescis, o Socrates, te nunc me paulo præuenisse. Venerat enim in animum mihi, ut te prior adortus hac eadem te rogarem. Quidnam uis? quid sperans me turbas, ut semper ubique sum, tu quoque obseruantissime adsis? Reuera enim quod sit consilium t. cum admiror, illudque libenter audirem. SOC. Audies igitur hoc à me ut decet quam primum, si quidem ut ais non esse desideras quid cognitem. ego enim tanquam expectantem & auscultaturo id referam. ALC. Et maxime quidem: dicas modo. SOC. Vide itaque, neque enim mirum uideri debet, si quemadmodum uix incepti, ita uix desinam. ALC. Age dic modo, audiam enim. SOC. Dicendum est profecto. Difficile quidem est, cum eo qui amicorum nulli demittat se consuetudinem inire. Audendum tamen sententiam meam exprimendam. Equidem, o Alcibiades si te cognouissem his rebus quas supra narrauimus esse contentum, uitamque in illis tuam transigere, dudum beneuolentiam erga te meam (sic enim mihi persuadeo) deposuissem. Nunc autem alias quasdam tuas de teipso cogitationes indicabo tibi, ut intelligas ex quo semel tibi mentem adhibui, quam nunquam desisterim. Uideris mihi sane si quis deus tibi dixerit, o Alcibiades, Nunquid uivere vis ea sola possidens qua nunc habes? an statim obire nisi præstantiora quædam assequi liceat? mortem potius electurus. At uero qua nunc spero uitam agas aperiã, putas enim si mox in Atheniensis populi concionem ascenderis, quod quidem paucos post dies futurum existimas, Atheniensibus demonstraturum te maiori dignum esse honore, quam aut Pericles sit, aut alius quisquam fuerit eorum, qui superioribus seculis floruerunt: quod si ostenderit, maxime apud ciues tuos auctoritatis fore. Atqui si plurimum hac in urbe possis, oïum quoque Græcorum atque Barbarorum quicumque eandem quam & Græci incolunt regione, clarissimus sis: & si deus idem imperium Europa concesserit, transire tamen in Asiam, & istuc imperium affectare uenerit, nondum electurus mihi uideris cum his solis uita degere, nisi nomen tuum atque potentiam, ut ita dicam, per omnia horum genera propagaris. Teque arbitror præter Cýrum ac Xerxem, nominem memoria dignum existimare. Quod igitur homini spe nutritis, non coniecto equidem, sed certo scio. Dices forte, utpote conscius me uera dixisse, Quid hæc, o Socrates, ad eam rationem quam assignare uolebas, ob quam me nondum deseruisti? Dicam, o amice Clinia & Dinomaches fili: his cogitationes tuas ad optatum finem perducere, absque me minime potes: usque adeo in te ac tua negotia me posse confido. Quapropter Deum ipsum censeo non permisisse olim me tecum differere: atque ego expectari donec ille permitteret. Ut enim tu speras ciuitati tue ostendere posse omni te apud eam honore dignum esse, atque his demonstratis nihil adeo magnis restare, quod non statim conficere possis: sic & ipse plurimum apud te posse confido, quum primum ostendero cunctis me digniorem esse: nec tutorem, neque cognatum, neque alium quempiam præter unicum me Deo fauente, tibi eam potentiam quam desideras, traditurum. Quandis igitur eras iunior, necdum in spem tantam ueneras, mea quidem sententia, deus tecum disputare prohibuit, ne frustra contenderes. Nunc uero impulit. nunc igitur audies. ALC. Longè mihi nunc mirabilior uideris, o Socrates, postquam loqui mecum cœpisti, quam dum tacitus me sequebaris: quanquam et tunc aspectu talis maxime uidebare. Utrum igitur ego hæc mente uersare necne, ita ut uideatur peruenisti, ut si et negem, nihil tamen ulterius proficiam suadendo: esto. Uerum si hæc ipsa maxime intendo, quoniam modo per te consequar, nec sine te ista perficientur? potestne dicere? SOC. Interrogasne an prolixum sermonem incepturus sim, quales audire solitus es? Neque uero id mei moris est. Imò demonstrare tibi possum, ut arbitror, hæc ita se habere, modo in hoc uno dicitur axa mihi obsequi uelis. ALC. Nisi durum obsequium est uolo. SOC. Num difficile tibi uideatur ad interrogata respondere? ALC. Nequaquam. SOC. Responde igitur. ALC. Interrogas SOC. An te interroget tanquam eam cogitare te dixi, deliberantem? ALC. Esto si placet, ut tandem quid feras, uideam. SOC. Age itaque, intendisne ut supra dixi, breui adire Atheniensem populū, aliqua de re moniturus. Si tibi igitur iam ad concionem ituro ego obuius, o Alcibiades, dicam, postquam Athenienses deliberare cōstituerunt, & tu deliberaturus surrexisti de eode: utrum de his quæ tu melius quam illi calles? quid responderes ad hæc? ALC. Responderes sane de his qua melius noui ego quam illi. SOC. Quæ igitur nosti, de his quoque es cōsultor bonus? ALC. Quidam? SOC. Nōne hæc sola cognoscis, qua ab alijs didicisti, uel ipse per te inuenisti? ALC. Quæ enim alia? SOC. Est ne aliquid quod didiceris, uel inueneris iam quondam quum inuenire uel discere nolles? ALC. Non est. SOC. Nunquid uoluisti unquam inquirere siue discere quæ te scire putabas? ALC. Nunquid. SOC. Quæ nunc scis, fuit quandoque tempus quando te ignorare puta-*

Beneuolentia  
captat à re  
ipsa & atre  
tioson.

A persona  
dicentis.

Duobus mo  
dis cognosca  
mus.







ris. ALC. Deinde non credis me quassisse? SOCR. Credo equidem, modo te ignorare putaueris. ALC. An fuit tēpus, cum sic me non haberem? SOCR. Bene dicis, sed potes assignare nobis id tempus, quando non rebaris te iustorum atq; iniustorum cognitionem habere? Age anno superiori qua sisisti haecine necne? Existimabas te scire necne? Ac vera responde, ne frustra disputatio instituat. ALC. Putabam scire. SOC. Tertio vero anno ante id tps, & quarto, & quinto, nonne eodem pacto? ALC. Eodem. SOCR. Atqui ante haec tempora eras puer, nūquid? ALC. Eram. SOCR. Scio equidem te tunc nosse putauisse. ALC. Quō scis? SOC. Sapenumero te puerum audiui cum apud magistros, & alibi in calculorū tactu ceterisq; puerilibus studijs exerceeris, tanquam de iustis atq; iniustis minime dubitantē: Verum audacter loquentem de quocunq; puero sermo incidisset, quod malus & iniustus esset, & iniuste ageret. Nū uera loquor? ALC. Quid me oportebat facere, cum quis iniuria me afficeret? SOCR. Tu vero si ignorans esses, siue iniuria inferatur, siue non, tum quid te facere oporteat queras? ALC. Per Iouem non ignorabam ego, sed planē intelligebam iniuriam mihi fieri. SOCR. Ergo putabas etiam dum esses puer, iusta & iniusta discernere. ALCIB. Et sciebam equidem. SOC. Quo in tempore inueneras? Non enim in illo cum te scire credebas. ALC. Nequaquam. SOC. Quādo igitur haec ignorare putabas? Considera non n. id tempus inuenies. ALC. Per Iouem, o Socrates, quod dicam non habeo. SOC. Non ergo per inuentionem ista cognoscis? ALC. Non uideor. SOC. Sed paulo ante nos per disciplinam tuam percipisse dicebas, quod si nec inuenisti neque didicisti, quōnam pacto? & unde tenes? ALC. Forte haud recte respondi, cum scire me per inuentionem asserui. SOC. Id uero quo pacto habet? ALC. Didici ipse quoq; ut arbitror, quemadmodum ceteri. SOCR. Rursus in idem relabimur: dic mihi enim a quo didicisti. ALC. A vulgo. SOCR. Non ad probatos refugis praecipitōres, cum ad vulgus te referis. ALC. An non sufficiunt ad docendum etiam hi? SOC. Ne ea quidem quae talarem ludum attinent, aut non attinent: etsi uiliora haec sunt, quā iusta. An non sic tu quoq; putas? ALC. Puto. SOC. Ergo maiora docere possunt, uiliora non possunt? ALC. Arbitror equidem. Enim uero multa docere possunt meliora ludo talari? SOC. Quānam ista? ALCIB. Ut est Graece loqui. Ab ijs enim didici, nec praecipitōrem ullum habui praeter istos, quos tu magistros haud satis probatos esse dicebas. SOC. O generose, huius quidem rei vulgares homines idonei praecipitōres sunt, & merito in hac doctrina laudantur. ALC. Cur? SOC. Quoniam habent, quod bonos decet praecipitōres habere. ALC. Quid hoc? SOC. Nonne seors oportere eos qui aliquid docturi sunt, prius quā doceant, intelligere? nunquid? ALC. Quidni? SOC. Et cum intelligant, consentire sibi neque dissidere? ALC. Ita. SOCR. In quibus uero igitur dissentiant, ea scire illos dicamus? ALC. Minime. SOC. Horum ergo quomodo bant essent magistri? ALCIB. Nullo modo. SOCR. Videturne tibi dissentire multitudo, siquādo interrogetur quid lapis, & quid lignum? An non in idem feruntur omnes, cum lignum uolunt aut lapidem capere? atque eodem pacto in cunctis huiusmodi? Intelliga

Quid oportet esse in bonis praecipitōribus. Qui doceri uelit lingua u, i, m. multitudinem mittendū: Linguae enim magister est popularis.

enim ferme per Graecē scire, hoc te significasse, nonne? ALCIB. Significauit equidem. SOC. Atque idcirco in ijs nonne conueniunt, ut diximus, & priuatum & publice ciuitates inuicem, neque dubitant, haec quidem hoc, haec uero aliud quiddam uocantes? ALCIB. Non dubitant. SOCR. Merito ergo istorum idonei praecipitōres essent. ALCIB. Nempe. SOCR. Itaque si quidem in his uellemus eruditum euadere, recte hunc in doctrinam multitudinis mitteremus. ALCIB. Prorsus. SOCR. Si autem nosse uellemus non modo qui homines & qui equi sunt, uerum etiam qui ex illis maxime cursu ualeant, & qui non, nunquid uulgus erudire poterit? ALCIB. Nequaquam. SOCR. Sufficiens hac tibi coniectura erit, quod nec sciant uulgares omnes, neque apti horum praecipitōres sint, quoniam de ijs inter se nequaquam conueniunt. ALC. Videtur. SOC. Si nosse cupiam non tantum qui sint homines, sed qui ualeant, qui aegrotent, nunquid multitudo docebit? ALCIB. Non. SOC. Multitudinem haec docere non posse facile aduertes, si discordes opiniones consideraueris. ALC. Sanē. SOC. De iustis autem hominibus atq; rebus multitudo secum ipsa sibi consentit? ALC. Minime per Iouem, o Socrates. SOCR. At in ijs magnopere discrepat? ALC. Summopere. SOC. Arbitror nec uidiſſe te unquam, nec audisse homines de sanis & aegrotis inter se adeo dissentire, ut ob ista bellum gererent, seq; inuicem interimerent. ALC. Nunquam. SOC. Caterum de iustis atq; iniustis quā acriter dissentiant, & si ipse, ut arbitror, non uidiſti, audiſti tamen cum ex alijs multis, tum etiam ex Homero, nam Odyſſeam atq; Iliada audiſti. ALC. Omnino, o Socrates. SOCR. Nonne igitur haec omnia poemata sunt de iustis atq; iniustis discrimine? ALC. Sunt. SOCR. Pugnaq; & interitus ob eandem profecto diffensionem inter Achios Troianōsue fuerunt, eadeq; ratione inter procos Penelopes & Ulixem. ALC. Uera refers. SOC. Reorq; & inter Athenienses, Lacedaemonas, atq; Baeotios, qui prius in Tanagra, deinde in Coronā perierunt, ut etiam pater tuus Clinias oppetiſt, nulla alia de re quā de iusti iniustine differentia pugnam illam acerbissimā exitisse. ALC. Uera loqueris. SOC. Eos itaq; dicemus illa scuisse de quibus tam acriter concertarunt, ut de iusto & iniusto altercantes omnia extrema subirent? ALC. Non ueretur. SOC. Ergo ad eos praecipitōres te referis, quos ipsemet ignorare consentis? ALC. Uideor. SOC. Quōnam pacto conueniens est te iusta & iniusta cognoscere, in quibus sic aberras, nec didicisse ab aliquo uideris, neque per te etiam inuenisse? ALC. Ex ijs quae tu dicis, non est consentaneum. SOC. Uides iterum Alcibiades hoc te non recte dixisse? ALC. Quid? SOC. Quod me aiebas haec dicere. ALC. Quid? non tu dicis me iusti & iniusti ignorantem esse? SOC. Nequaquam. ALC. Ego ne igitur? SOC. Tu in quā. ALC. Quōnam modo? SOC. Sic intelliges, si te interrogē uirum unum aut duo plura sint, respondebisne duo? ALC. Duo. SOC. Quāto? ALC. Uno. SOC. Uter igitur nostrum est, qui dicit duo uno plura quā unū? ALC. Ego. SOC. Ego igitur interrogabam, tu respondebas? ALC. Ita. SOC. De ijs ergo uter nostrū dicere uideatur nū ego interrogans, an tu respondens? ALC. Ego. SOC. Quid autem si quaram quot sunt in Socrate literae, tu uero

Ilias & Odyſſea sunt de discrimine iusti & iniusti.

one uultu uti dicitur hominibus dicitur uti dicitur



tu vero respondeas, uter nostrum erit qui dicet? ALC. Ego. SOC. Age dic uno verbo, quoties interrogatio fit atque responsio, uter est qui dicit? interrogansne an respondens? ALC. Respondens, mihi videtur, o Socrates. SOC. Ego in superioribus semper interrogavi. ALC. Semper. SOC. Tu vero respondisti? ALC. Respondi. SOC. Quae igitur dicta sunt hactenus, uter nostrum dixit? ALC. Ex his quae concessa sunt, ego dixisse videor. SOC. Nonne dictum est, quod Alcibiades pulcher Clinia filius iustum atque iustorum infens, se scire putabat, eratque concionem Atheniensium aggressurus, ea consulturus quae nesciret? Sunt haec vera? ALC. Sunt. SOC. Euripidis illud nunc nobis, o Alcibiades occurrit. Abs te quippe ista videris audisse, non a me. Neque ego haec, sed tu dixisti: me autem frustra accusas. ALC. Et profecto bene dicis. SOC. Furiosum enim quiddam aggre di, o vir optime, statuisti, docturus illa quae nescias, neque discere cures. ALC. Reor, o Socrates, Athenienses & alios Graecos raro quanam iustiora, quae ne iniustiora sint, quaerere. talia enim putant esse perspicua. his igitur omisis, quae conducant agentibus inquirunt. Neque enim eadem esse iusta & vitia puto, quin multis iniuste agentibus iniustitia profuit: alios contra iuste agentes nil ipsa iniustitia iuvit. SOC. Quid igitur si vel maxime diversa, iusta & vitia sunt, an in rursus scire te putas quae vitia sint hominibus, & quam ob causam? ALC. Et quid prohibet Socrates? nisi rursus exquiras a quo didicerim, aut quomodo ipse inveniuerim. SOC. Vide quid agas, quod non recte dicis, cum possit id ostendere per eandem rationem quae superiora, ipse tamen nona quaedam existimes audienda, nouasque demonstrationes in medium adducendus, quasi priores sint iustarum apparatusum atque vestium quibus in scena utuntur contraria, quibus quidem tu non amplius induaris, nisi quis aliud quiddam purum immaculatumque afferat. Ego autem missa faciens sermonis tui praeludia, nihilominus interrogabo, unde vitia haec esse didiceris, & quis magister fuerit, & reliqua cuncta quae prius, una interrogatione requirant. Veruntamen eodem, ut arbitror, reuolueris, neque ostendere poteris vitia, disciplinane an inuentione cognoueris. Quando vero adeo delicatus es, ut non libenter sermonem eundem gustaturus videare: hoc quidem mitto, notisne an non, quid vitale, qui due inuide Atheniensibus sit. Vtrum autem eadem sint iusta & vitia, an diuersa, cur non demonstras, aut ipse me interrogans, ut ego te, aut, si ita placet, oratione perpetua utens? ALC. Haud scio, o Socrates, an aduersus te disputare valeam, necne. SOC. At o bone vir, concionem me in presentia, populium esse puta: nonne illic te unicuique persuadere oportebit? ALC. Oportebit. SOC. Nonne eiusdem est posse & uni seorsum aliquid, & multis simul eorum quae nouit, demonstrare? Sicut grammaticus unum pariter in literis ac multos erudit. ALC. Est. SOC. Et in numeris eodem modo quis poterit uni ac multis ostendere? ALC. Certe. SOC. Hic autem est arithmeticus. ALC. Est. SOC. Et tu ergo quae pluribus, eadem uni persuadere potes. ALC. Consentaneum est. SOC. Sunt autem haec videlicet quae agnoscis. ALC. Profecto. SOC. Hoc vero duntaxat differt rhetor qui apud populum loquitur, ab eo qui in huiusmodi congressu:

quod ille simul vniuersis, hic seorsum singulis persuadet. ALC. Videtur. SOC. Age cum eiusdem esse appareat multis atque uni ostendere, meditare nunc coram me atque enitere, ut ostendas mihi quod iustum est, aliquando non prodesse. ALC. Contumeliosus es o Socrates. SOC. Nunc per contumeliam demonstraturus sum tibi contraria eorum quae tu mihi non vis. ALC. Dic. SOC. Responde modo interroganti. ALC. Minime, sed tu ipse dicas. SOC. Nonne vis quam maxime persuaderi? ALC. Profusus. SOC. Si dixeris haec ita se habere, an non eris maxime persuasus? ALC. Mihi quidem videtur. SOC. Responde igitur: nam nisi a teipso audieris iusta omnia vitia esse, alteri dicenti ne credas. ALC. Non credam: sed iam respondendum est: nihil enim periculi esse existimo. SOC. Vates profecto es, verum dic. Iustorum alia conferre afferis, quaedam minime? ALC. Affero. SOC. Quid autem horum partim esse pulchra, partim contra? ALC. Quomodo hoc interrogas? SOC. Vtrum quispiam tibi aliquando visus sit turpia quidem facere, sed tamen iusta? ALC. Mihi nunquam. SOC. Omnia itaque iusta etiam pulchra. ALC. Ita. SOC. Rursus, pulchra vtrum omnia bona, an partim bona, partim mala? ALC. Arbitror equidem o Socrates, nonnulla ex pulchris mala esse. SOC. Et turpia quaedam bona? ALC. Certe. SOC. Nunquid tale quiddam dicis, perinde ac si nonnulli dum in praelio amico vel propinquo cuidam opem ferre vellent, vulnerari perierint: qui vero auxiliu cum debuissent, non tulerunt, incolumes discesserint? ALC. Et maxime quidem. SOC. Nonne auxilium homini pulchrum appellus, ubi quis seruare conatur quos oportebat? eaque fortitudo est? ALC. Profecto. SOC. Malum vero vocas ob interitus ac vulnera, nunquid? ALC. Voco. SOC. An non est aliud fortitudo, aliud mors? ALC. Aliud. SOC. Non ergo secundum idem pulchrum simul ac malum est, amicus opem ferre. ALC. Non videtur. SOC. Vide itaque vtrum qua ratione pulchrum, et bonum sit: quemadmodum in his. Quia. n. forte concedis pulchrum esse auxilium ferre. Ipsa autem fortitudo bonumne an malum? Sic vero considerat: vtra eligeres adesse tibi, bona an mala? ALC. Bona. SOC. Nonne maxima bona maxime optares? ALC. Maxime. SOC. At minime omnium his priuari velles? ALC. Quidni? SOC. Quid de fortitudine dicis? quanto illam pro commutares? ALC. Ne viuere quidem vellem, si timidus essem. SOC. Extremumne malum tibi videtur esse timiditas? ALC. Mihi vero. SOC. Aequae ac morti, ut apparet. ALC. Aequae. SOC. Morti atque timiditati vita & fortitudo contraria sunt? ALC. Sunt. SOC. Et haec quidem maxime optares adesse tibi: illa minime? ALC. Certe. SOC. An non ex eo quod haec optima, illa pessima esse censes? ALC. Profusus. SOC. Igitur auxilium ferre amicis in praelio, pulchrum quidem vocabas secundum boni, id est, fortitudinis actionem. ALC. Videor sane. SOC. Secundum vero actionem mali, id est, mortis, malum. ALC. Mihi quidem videtur. SOC. An non congruum est, sic vnamquamque actionem denominare? si enim eam prout malum fert, malam appellas: contra, prout fert bonum, bonam vocare decet? ALC. Videtur. SOC. Nonne etiam quia bonum, pulchrum: quia malum, turpe? ALC. Maxime. SOC. Cum ergo dicis auxilium ferre bello, pulchrum esse,

Qua quid bonum, haec pulchrum, qua malum, haec turpe. esse,



esse, sed malum: perinde est ac si dicas, ipsum bonum quidem, malum tamen, ALC. Vera mihi dicere videris, o Socrates, SOC. Nihil igitur pulchrum quatenus pulchrum malum est, neque turpe quicquam quatenus turpe bonum, ALC. Non videtur, SOC. Præterea hunc in modum contemplare, quisquis pulchre agit, non bene agit? ALC. Vtique, SOC. Bene autem agentes, nonne felices? ALC. Quid ni? SOC. An non felices propter bonorum possessionem? ALC. Et maxime, SOC. Acquirunt autem hæc ex eo quod pulchre ac bene agunt? ALC. Certe, SOC. Igitur bene agere bonum, ALC. Quid ni? SOC. Nonne pulchrum actio bona? ALC. Certe, SOC. Idem itaque rursus apparet nobis pulchrum ac bonum, ALC. Apparet, SOC. Quicquid igitur inuenimus pulchrum esse, idem quoque bonum existere hac ratione reperimus, ALC. Necessè est, SOC. Bona autem conferunt necne? ALC. Conferunt, SOC. Meministi quid supra de iniustis confesi simus? ALC. Reor iusta agentes necessarium esse pulchra facere, SOC. Pulchra vero agentes, nonne etiam bona? ALC. Ita, SOC. Et bona prodesse? ALC. Penitus, SOC. Iusta igitur, o Alcibiades, vitia sunt, ALC. Videtur, SOC. Hæc nonne ipse dixisti, ego autem interrogavi? ALC. Apparet, SOC. Si quis igitur surgat Atheniensibus vel Pæpære hijs consilium putans iusta se & iniusta dignoscere, dicatque se iusta interdum esse mala, nonne ipsum irideres, cum afferas eadè iusta & vitia esse? ALC. Per deos, o Socrates, quid dicam nescio, sed absurdo quodam modo habere me uideor, Nã & alia videntur mihi interrogante te, & nunc alia, SOC. Ignoras, o amice, quoniam hæc assertio sit? ALC. Ignoro, SOC. Si quis te interrogasset duos ne an tres oculos habeas, manusue duas an quattuor, aut aliud quiddam huiusmodi, putas illi te nunc hoc, nunc illud, an idè semper responsurum fuisse? ALC. Et si de me ipsam Vercor, puto tamè eadè responsurum, SOC. An non huius causa est, quia cognoscis? ALC. Arbitror, SOC. De quibus igitur inuitus contraria respondes, constat illa te ignorare, ALC. Consentaneum est, SOC. Nonne circa iusta & iniusta, pulchra & turpia, bona & mala, vitia & inutilia respondendo te errasse fateris? deinde nonne manifestum est, ex eo errauisse, quod ignoraueris? ALC. Videtur, SOC. Nunc ita se res habet, ut si quis ignoret, illius animus circa id errare necesse sit? ALC. Quid ni? SOC. Scisne quo pacto in cælum ascendas? ALC. Minime per Iouem, SOC. Aberrat circa hæc opinio tua, ALC. Non certe, SOC. Scis autem huius causam, an me dicere maui? ALC. Dic, SOC. Quoniam cum nescias, non putas te scire, ALC. Quomodo rursus id ais? SOC. Cogitatu quoque mecum, quæ nescis, cognoscis, te ea nescire, num in illis habere, quæ admodum de parandis obsonijs nosti sanè quod nescis? ALC. Penitus, SOC. Vtrum circa hæc opinaris quomodo parare conueniat, atque erras? an potius scienti concedis? ALC. Hoc pacto, SOC. Quid si nauigares, nunquid opinareris gubernaculum nunc ad interiora, nunc ad exteriora flectendum, ac nescius errares, an potius gubernatori concedens, quietem ageres? ALC. Gubernatori, SOC. Non igitur erras in his quæ nescis, si nescire te noueris, ALC. Non videtur, SOC. Cernis errores in æliionibus esse ob hæc ignorantiam, quod qui nescit scire se putat? ALC. Quo pacto id ais? SOC. Tunc agere aggredi-

Felices ob bonorum possessionem.

Ignorantia causa est respondendi varia & non eadem.

mur, cum nosse putamus quod agimus, ALC. Ita est, SOC. Contrà, qui ignorantia sua conscij sibi sunt, alijs se committunt, ALC. Quid ni? SOC. Quapropter ex ignorantibus hi soli sine culpa vitia agunt, ex eo quod aliorum curæ se credunt, ALC. Profecto, SOC. Quinam peccant non nescientes, ALC. Non certe, SOC. Postquam nescientes, neque ex ignorantibus ij qui ignorantia sua conscij sibi sunt errant, quinam alij restent, quam ij qui cum nesciant, scire se putant? ALC. Soli, SOC. Hæc igitur ignorantia malorum causa est, & vituperanda inscitia, ALC. Nempe, SOC. Et quando circa maxima est, tunc deterrima atque turpissima, ALC. Maxime, SOC. Num habes quicquam maius quam insitum, bonum, vitale? ALC. Nequaquam, SOC. Nonne circa hæc errasse te asseris? ALC. Assero, SOC. Quod si erras, nonne ex superioribus perspicuum est, quod non modo in maximis rebus inscius es, Verum etiam cum insignis, scire te putas? ALC. Videor, SOC. Pape, o Alcibiades, quo pressus es morbo? hunc equidem non are horresco, Veruntamen cum soli simus, dicendum est: In turpissima namque inscitia, optime vir, versaris, id quod ipse oratione tua satis declaras: qui prius te ad ciuitatem confers, quam sis gubernandi peritus, Neque te solum morbus hic tenuit, Verum etiam omnes qui hanc Rempublicam administrant, propter admodum paucos, ac fortasse præter tutorem tuum Periclem, ALC. Fertur, o Socrates, non casu quodam sapienter uasisse Pericles, sed multis ac sapientibus viris familiariter usus cum sit, Pythoclides in primis & Anaxagora etiam nunc est tam grandis natus, sapientia gratia Damonem vitur, SOC. Num quem vidisti sapientem, qui in eare in qua ipse sapit, alium sapientem efficere non posset? Veluti qui te in literis erudiuit, ipse quidem erat sapiens, teque pariter reddidit sapientem: & eodè pacto quemvis alium poterat, ALC. Profecto, SOC. Et tu quoque eruditus ab illo, alium instruere poteris, ALC. Potero, SOC. Similiter citharædus & magister gymnasiij, ALC. Penitus, SOC. Optima igitur hæc coniectura est, quosdam esse, qui cum ipsi sciant, ostendere quos docuerunt possunt, ALC. Mihi quidem videtur, SOC. Habes quem dicere posse à Pericle sapientem factum à filijs insipientis? ALC. Quid si Pericles filij stolidi sunt? SOC. At vero fratrem tuum Cliniam? ALC. Quid Cliniam in medium adducis hominem insanum? SOC. Postquam Clinias quidem furit, filij vero Pericles stolidi nati sunt, tibi quæ causam adscribemus, propter quam te cum talis sis, negligat? ALC. Ego ipse, ut arbitror, in culpa sum, cum illi mentem non adhibuerim, SOC. Verum ex Atheniensibus hospitibusque ceteris, dic quem vel seruum, vel liberum sapienter sua consuetudine fecerit, sicuti ego tibi ostendere possum propter Xenonis familiaritatem Pythodorum Isolochi & Calliam Calliadæ filios factos esse dignos sapientesque viros, quorum uterque centum minis Xenoni tradidit, ALC. Per Iouem non habeo quem dicam, SOC. Esto, Quid ergo de teipso cogitas? num qualis nunc es, maturescis, an aliquid conari potius? ALC. Communi consilio opus est, o Socrates, Etenim tua dicta intelligo, eisque assentior, Nam qui Rempublicam administrant, præter admodum paucos, ineruditi mihi quoque videntur, SOC. Quid tum? ALC. Si periti essent, oporteret eum qui cum illis decertaturus est, postquam eandem artem didicisset, ac seipsum exercuisset: tunc demum tanquam

Optima coniectura est scientia.



quam ad abletas ire. nunc autem postquam isti imperici ad rempub. accesserunt, quid exercitatione opus est mihi? quid discipline studio? Noui enim quod natura deditus loge hos superabo. S O C. Papa, quidnam optime vir dixisti? quam indignum indole tua, ac reliquis istis tuis dotibus. A L. Quorsum haec, o Socrates? S O C. Dolet enim mihi cum propter te, tum ob mutuam nostram beneuolentiam. A L. Quidnam? S O C. Quod putaueris aduersus homines, qui hic sunt, tibi certamen fore. A L. Aduersus quos igitur. S O C. Decetne, ut id quarat vir qui tibi se facit? A L. Quid ais? nonne aduersus istos mihi certamen? S O C. Si pugnatuam triremem gubernare stas tuas, satisne tibi putes, tuis te conuantis gubernando praestare? an cum hoc ita esse oportere intelligas, in strenuos aduersarios potius, non ut nunc facis, in propugnatores tuos respicias, quibus te tantum oportet excellere, non qui contra illos quidem pugnantur existimes, sed parui potius pendens, seu ministris aduersus hostes uti, si quidem reuera egregium aliquod facinus edere velis te ac repub. tua dignum? A L. At id quidem cogito. S O C. An decet igitur, ut satis putes, si tuorum militum praestantissimus tu sis, non autem respicias ad hostium duces, qua ratione illis potius excellas, in hos intentus semper, et contra eos te muniens? A L. Quos dicis, o Socrates? S O C. Nostri' urbe nostram cum Lacedaemonijs, ac magno Persarum rege undique bellum gerere? A L. Vera dicis. S O C. Nonne, cum in animo sis huius ciuitatis dux fieri, recte facias, si putes aduersus Lacedaemoniorum Persarumque Reges certamen te subiturum? A L. Vera dicere videris. S O C. Non, o bone vir: sed in Midadiam coturnicium nutritorem te decet intutum esse, et alios huiusmodi, qui eum nondum capillos, quos serui alebant, animo (quem admodum muliercula vulgo dicunt) pra' imperitia abarserint, rempublicam tamen tractare aggrediuntur, adhuc barbariem redolentes: atque ita affecti prodeunt adulatori ciuitati, non autem imperaturi. In istos inquam intuentem te num de te ipso securum esse decet, neque discere quacumque ad eruditionem pertinent, cum sis tantum certamen aditurus, neque in quibus oportet exerceri, et quae sunt praeparanda parare, ut ita institutus ciuilem tandem administrationem capeas? A L. O Socrates, vera mihi dicere videris. Arbitror, n. Lacedaemoniorum duces regemque Persarum nihilo ab alijs discrepare. S O C. At, o vir optime, animaduerte quaso, qualis haec sit opinio tua. A L. Qua in re? S O C. Num te existimas diligentius te ipsum curaturum, si illos tanquam potentissimos esse credens, formides, an si minime eos timeas? A L. Si potentes illos existimauero. S O C. An censes curam, quam tute de te habes, alicubi tibi posse nocere? A L. Nullo modo: at contra, maxime prodesse. S O C. Vnu quidem hoc in primis tantum malum ista tua opinio habet. A L. Vera dicis. S O C. Secundum vero, quod falsa sit, quod ita tibi probabile efficitur. A L. Quomodo? S O C. Vtrum consentaneum est, meliores esse naturas nobili in genere, quam ignobili? A L. Manifestum quod in nobili. S O C. Nonne bene nati, si bene et educantur, ita demum ad virtutem perueniunt? A L. Necesse est. S O C. Consideremus itaque, illis nostra comparantes: primum quidem, vtrum Lacedaemoniorum Persarumque reges ignobiliori, quam nos genere orti videantur. An ignoramus illos quidem ab Hercule,

hos autem ab Achemenes genus ducere? Herculis autem, et Achemenis origo ad Persem Iouis filium refertur. A L. Et nostrum quidem, o Socrates, in Eurysace, Eurysacis in Ionem. S O C. Atqui nostrum, o generose Alcibiades, in Dadalum etiam, Dadalus autem in Vulcanum Iouis filium. Verum istorum maiores ab ijs incipientes reges sunt ex regibus usque ad Iouem. Illi quidem Argiuorum et Sparta. Hi vero Persidis semper, saepe etiam, ut et nunc, Asia. Nos autem superioresque nostri prinati. Quod si te oporteret progenitores ac patriam Eurysacis ostendere Salaminam, vel Aeaci etiam prioris Aeginam Artaxerxi Xerxis filio, quo te risu exceptum iri putas? Sed vide ne et generis dignitate, et educatione praetera, illis inferiores simus. Nunquid au disti quantam sit Lacedaemoniorum regum dignitas? quorum uxores publice obseruantur ab Ephoris, ut quoad fieri potest, rex non ex alio, quam Heraclidarum genere latenter oriatur. Persarum vero rex adeo excellit, ut nemo sufficetur regem ex alio, quam ex ipso genitum esse: quamobrem regis uxor non ab alio, quam metu custoditur. Postquam vero natus est primogenitus, qui succedit in regno, primo quidem eum diem, oes qui sub regno sunt celebrant, atque ita in posterum quotannis natalem regis diem sacris ac festis ois Asia colit. Cum vero apud nos quis nascitur, ne vicini quidem, ut ait Comaedus, sentiunt, o Alcibiades. Deinceps nutritur puer, non a muliere nutrice parum honorifica, verum ab eunuchis, qui reliquorum circa regem optimi videantur, quibus et alia, quae spectant ad curam pueri demantur, ac praecipue, ut natum quam pulcherrimum reddant, componentes membra eius atque dirigentes. Atque haec facientes magno in honore habentur. Cum autem pueri septimum aetatis annum impleuerunt, ad equestris artis magistros proficiscuntur, deinde in venationem tendunt. Anno vero quartodecimo puerum suscipiunt hi, quos regios pedagogos appellant. Sunt ij profecto ex omnibus. Persis ea aetate electi praecipuique quattuor, sapientissimus, iustissimus, temperatissimus, atque fortissimus aliquis vir. Quorum primus magicam Zoroastri Oromansij filij docet: est autem illa deorum cultus: atque idem tradit instituta regia. Secundus admonet, ut in omni vita sit verax. Tertius ne ulla cupiditate superetur, ut liber viuere consuecat, ac reuera rex, imperans ijs ante omnia, quae in ipso sunt, nec ulli seruans. Quartus denique impavidum illum, et intrepidum reddit, nequando quippiam metuens seruus fiat. Tibi autem, o Alcibiades, Pericles adiunxit pedagogum Zopyrum Thracem omnium seruorum suorum praesentio inutilissimum. Narrarem praetera tibi reliquam educationem, et disciplinam aduersariorum tuorum, nisi longum sit. Iam vero satis haec clara sunt ad cetera quae hinc sequuntur ostendenda. Tua vero aliorumne Atheniensium generationis, educationis, et disciplinae nulli, ut ita dicam, propinquorum cura est, nisi forte amatores id curent. Iam vero diuitias, voluptates, vestium luxuriosum ornatum, vuguentorum odores, ministrorum sequentium turbam, reliquamque Persarum molliem, si considerare voles, pudebit te tui, vbi intelliges quantum ab illis relinquere. Contra si considerare Lacedaemoniorum temperantiam, modestiam, facilitatem,

Paromia.

Persarum regu educatio

Magica Zoroastri deorum cultus est.

Lacedaemoniorum laudes.

c mansue

... ad abletas ire. nunc autem postquam isti imperici ad rempub. accesserunt, quid exercitatione opus est mihi? quid discipline studio? Noui enim quod natura deditus loge hos superabo. S O C. Papa, quidnam optime vir dixisti? quam indignum indole tua, ac reliquis istis tuis dotibus. A L. Quorsum haec, o Socrates? S O C. Dolet enim mihi cum propter te, tum ob mutuam nostram beneuolentiam. A L. Quidnam? S O C. Quod putaueris aduersus homines, qui hic sunt, tibi certamen fore. A L. Aduersus quos igitur. S O C. Decetne, ut id quarat vir qui tibi se facit? A L. Quid ais? nonne aduersus istos mihi certamen? S O C. Si pugnatuam triremem gubernare stas tuas, satisne tibi putes, tuis te conuantis gubernando praestare? an cum hoc ita esse oportere intelligas, in strenuos aduersarios potius, non ut nunc facis, in propugnatores tuos respicias, quibus te tantum oportet excellere, non qui contra illos quidem pugnantur existimes, sed parui potius pendens, seu ministris aduersus hostes uti, si quidem reuera egregium aliquod facinus edere velis te ac repub. tua dignum? A L. At id quidem cogito. S O C. An decet igitur, ut satis putes, si tuorum militum praestantissimus tu sis, non autem respicias ad hostium duces, qua ratione illis potius excellas, in hos intentus semper, et contra eos te muniens? A L. Quos dicis, o Socrates? S O C. Nostri' urbe nostram cum Lacedaemonijs, ac magno Persarum rege undique bellum gerere? A L. Vera dicis. S O C. Nonne, cum in animo sis huius ciuitatis dux fieri, recte facias, si putes aduersus Lacedaemoniorum Persarumque Reges certamen te subiturum? A L. Vera dicere videris. S O C. Non, o bone vir: sed in Midadiam coturnicium nutritorem te decet intutum esse, et alios huiusmodi, qui eum nondum capillos, quos serui alebant, animo (quem admodum muliercula vulgo dicunt) pra' imperitia abarserint, rempublicam tamen tractare aggrediuntur, adhuc barbariem redolentes: atque ita affecti prodeunt adulatori ciuitati, non autem imperaturi. In istos inquam intuentem te num de te ipso securum esse decet, neque discere quacumque ad eruditionem pertinent, cum sis tantum certamen aditurus, neque in quibus oportet exerceri, et quae sunt praeparanda parare, ut ita institutus ciuilem tandem administrationem capeas? A L. O Socrates, vera mihi dicere videris. Arbitror, n. Lacedaemoniorum duces regemque Persarum nihilo ab alijs discrepare. S O C. At, o vir optime, animaduerte quaso, qualis haec sit opinio tua. A L. Qua in re? S O C. Num te existimas diligentius te ipsum curaturum, si illos tanquam potentissimos esse credens, formides, an si minime eos timeas? A L. Si potentes illos existimauero. S O C. An censes curam, quam tute de te habes, alicubi tibi posse nocere? A L. Nullo modo: at contra, maxime prodesse. S O C. Vnu quidem hoc in primis tantum malum ista tua opinio habet. A L. Vera dicis. S O C. Secundum vero, quod falsa sit, quod ita tibi probabile efficitur. A L. Quomodo? S O C. Vtrum consentaneum est, meliores esse naturas nobili in genere, quam ignobili? A L. Manifestum quod in nobili. S O C. Nonne bene nati, si bene et educantur, ita demum ad virtutem perueniunt? A L. Necesse est. S O C. Consideremus itaque, illis nostra comparantes: primum quidem, vtrum Lacedaemoniorum Persarumque reges ignobiliori, quam nos genere orti videantur. An ignoramus illos quidem ab Hercule,

Consentaneum est in genere nobili, quam ignobili ingenia meliora in esse.



mansuetudinem, magnanimitatem, moderationem, compositionem, fortitudinem, constantiam, tolerantiam, uictoria, cupiditatem, & amorem gloria, uelis, puerum te his omnibus in rebus iudicabis. Si quid prorsus opulentia tribuis, & hic aliquis esse putas, neque hac à nobis silentio praeferantur. Modo sentias ubi nam sis, & Lacedaemoniorum diuitias intuearis, cognosces profecto nos ab illis longè admodum superari. Quicquid enim, aut sui agri, aut Messaniensis possident, nemo utique dubitet, quin amplitudine & uertute ac seruatorum, tam aliorum, quam Eolorum frequentia, & equorum praeterea, aliorumque pecorum quae fert Messania copia nostros superet. Caterum hac omnia in praesentia omitto. Auri uero & argenti apud Lacedaemonas copia tanta, quantam ne uniuersa quidem reliqua Graecia possidet. Multa enim iam secula infertur quidem illuc ex uniuersa Graecia, saepe etiam ex Barbaria, effertur autem nusquam. Sed reuera quemadmodum apud Aesopum vulpes leoni dixit de serarum uestigijs, sic & nummorum uestigia ingredientium Lacedaemonem trita quidem in puluere uidentur, egredientium uero nusquam apparent, unde coniectare licet Lacedaemonios auri atque argenti Graecorum omnium esse ditissimos. Quinetiam rex illorum pecuniosissimus est. Ex his enim maxima pars ad ipsum peruenit. Tributum praeterea regi per grande impenditur. Et res quidem Lacedaemoniorum quo ad reliquos Graecos, ampla: quo ad uero Persas regesque Persarum, angusta. Retulit quippe nobis uir quidam grauis, unus eorum qui ad Persarum regem profecti erant, se quandoque integrum penè diem, latam ac fertilem per agrasse prouinciam quam in eola uxor is regiae zonam appellarent: esse quoque aliam nomine Calyptram, atque ita multas alias regiones pulchras ac fertiles ad ornatum reginae solius pertinere, nominaque singulis locis à singulis ornamentis imposita esse. Quamobrem, opinor, si quis Amistridi Xerxis quidem uxori, regis autem matri dicat, Dinomachres filium in animo habere, cum ipsius filio pugnare cum Dinomachae ornatus quinquaginta fortasse sit minarum, filio uero agri plethra in Erechiasis minus, quam trecenta, eam admiraturam qua re fretus. Alcibiades audeat cum Artaxerxe pugnare. Reorque illam arbitratu hunc uirum in nulla aliare, nisi diligentia sapientiaque confisum id aggredi: hac quippe sola apud Graecos aestimatione digna esse. Quod si intelligat alicunde, Alcibiadem istum certamen tantum inire, primo quidem nondum uiginti annos prorsus natum, deinde omnino indoctum, nec amico suo obedientem, monenti prius discat exerceatque, quam tantum regem inuadat, arbitror illam admiratione concitata interrogaturam, qui dnam sit quo adolescens iste confidat. Cui si responderemus, pulchritudine, proceritate, nobilitate, diuitijs, animo te fidere, nos, o Alcibiades, insani re putaret arbitrator, hac apud suos omnia potiora sciens. Eodemque modo Lampidonem Leotychidae filiam. Archidami uero uxorem, Agidis autem matrem, qui omnes reges extiterunt, miraturam cum norit qualia circa se sunt, te tam male instructum filio suo non dubitare bellum mouere. Atqui nonne turpe uidetur, si hostium mulieres reflius iudicent, quam nosmetipsi, quemadmodum contra illos accingi debeamus? Caterum, o beate mihi parens, & illi quod in Delphis est, epigrammati obtemperans,

Provincia  
appellata  
ab orna  
tu regin

nosce te ipsum: quoniam si sunt aduersarij nostri, non quos ipse rebaris, quos quidem nulla re alia, nisi industria, & arte superare licet. Quibus profecto si inferior fueris, gloria quoque apud Graecos, et Barbaros tibi deerit: quam sic ardentem uideris appetere, ut nemo unquam aliquid ardentius concupiuerit. ALC. Quam igitur curam adhibendam censes, o Socrates? An potes ostendere? Mihi enim supra quam dici possit, uera dixisse uideri. SOC. Possum quidem, uerum communi consilio opus est, qua ratione quam optimi efficiamur. Ego enim non te tantum, uerum etiam me ipsum disciplina indigere dico. Nam unum solum est, quo à te differo. ALC. Quid? SOC. Curator meus melior est, et sapientior, quam tuus Pericles. ALC. Quis hic, o Socrates? SOC. Deus, o Alcibiades, qui me ueruit ante hunc diem tecum differere, cui credens, assero te per nullum alium quam per me claritatem consecuturum. ALC. Tocaris, o Socrates. SOC. Forsitan, uera tamen loquor, quod uterque curatione indigemus. imò homines uniuersi, caterum nos quam plurimum. ALC. Quod quidem ego indigeam, haudquaquam falleris. SOC. Neque etiam quod ego ipse. ALC. Quid igitur agendum? SOC. Nec hastandum, neque etiam mollitia indulgendum est, o amice. AL. Non dicet, o Socrates, SOC. Non certe, sed in commune considerandum. Verum dic mihi, an optimi esse uolumus? AL. Certe. SOC. In qua facultate? AL. Qua uidelicet uiri boni. SOC. Quanam in re boni? AL. In rebus agendis. SOC. In quibus? num in re equestri? AL. Non. SOC. Ad equites enim iremus. AL. Profecto. SOC. Nunquid in nauis gubernatione dicebas? AL. Nequaquam. SOC. Ad nauas enim iremus. AL. Irems. SOC. In quo ergo negotio, & quorum hominum officio? AL. In his quae clari boni Atheniensium uiri agunt. SOC. Clarior ac bonos, prudentesne, an imprudentes appellas? AL. Prudentes. SOC. In quo unusquisque prudens, in eodem bonus? AL. Certe. SOC. Imprudens autem malus? AL. Malus. SOC. Calceorum sutor prudens ad calceorum opus? AL. Prorsus. SOC. Bonus ergo ad hac? ALC. Bonus. SOC. Quid uero uestibus conficiendis, nonne cerdo hic imprudens? ALC. Ita. SOC. Malus ergo ad hac? ALC. Ita. SOC. Idem itaque secundum hanc rationem etiam bonus atque malus erit. ALC. Videtur. SOC. An dicis uiros bonos malos etiam esse? ALC. Nequaquam. SOC. Quos tandem bonos uocas? ALC. Eos qui in ciuitate praesse possunt. SOC. Non tamen equis? ALC. Non certe. SOC. At hominibus? ALC. Hominibus. SOC. Num hominibus agrotantibus? ALC. Non. SOC. An forte nauigantiis? ALC. Non his dico. SOC. Metentibusne? ALC. Neque his. SOC. Aliquidne uel nihil facientibus? ALC. Facientibus. SOC. Quid tandem facientibus? id mihi declara. ALC. Commercia inquam agitantibus, atque mutua opera utentibus. SOC. Nunquid imperare eos dicis hominibus, qui hominibus utuntur? ALC. Aio. SOC. An gubernatoribus qui remigibus utuntur? ALC. Non. SOC. Haec enim gubernatoria facultatis uirtus est. ALC. Est. SOC. Fortasse imperare dicebas tibicinibus, qui canentibus praesunt, choreis, utuntur. ALC. Neque his. SOC. Hoc nanque ad facultatem chori magistrum pertinet. ALC. Omnino. SOC. Quid denique uocas imperare posse hominibus

In quo quis  
quam pru  
dens, in eor  
dem bonus.



nibus, qui utuntur hominibus? ALC. Præesse hominibus comunicantibus inuicem in Reipub. administratio ne atque comercijs. SOC. Quæ nam hæc ars est? quemadmodum si te iterum rogem, quæ facultas efficit, ut præesse nauigando comunicantibus sciamus? ALC. Gubernatoria. SOC. Comunicantibus autem in cantu, ut paulo antè dicebatur, quæ scientiæ præesse docet? ALC. Quam tu nuper aiebas, chori disciplina. SOC. In Reipub. Vero comunicantibus, quam scientiam vocas? ALC. Bonum consilium, ò Socrates. SOC. Num tibi videtur gubernatorum ars carere consilio? AL. Minime. SOC. Est ipsa quoque bonum consilium. AL. Mihi sanè videtur. SOC. Ad nauigantium salutem. AL. Rectè loqueris. SOC. Quod vero bonum consilium vocas, quò spectat? AL. Ad meliorem ciuitatis institutionem salutem. SOC. Quamnam re præsentem, vel absente melius disponitur atq. seruat? Ceu si ipse me roges, quo præsentem, aut absente bene se habent corpora: responderem utiq. sanitate præsentem, morbo vero remoto. Idem & tu existimas? AL. Idem. SOC. Quòd si idem quæras de oculis, eadem ratione respondebo, pulsa cæcitate, adhibito visu. Et aures curari fugata surditate, admoto vero auditu. AL. Rectè. SOC. Ciuitas autem quo remoto, quòue adhibito melior fit, ac melius instituitur? AL. Mihi videtur, ò Socrates, quando amicitia est inter ciues: odia vero & seditiones absunt. SOC. Amicitiam vocas consensionem an dissensionem? AL. Consensionem? SOC. Per quam artem ciuitates, circa numeros consentiunt? AL. Per arithmeticam. SOC. Priuaci vero, an non propter eandem? ALC. Nempe. SOC. Et unusquisq. secum ipse? AL. Certè. SOC. Per quam artem quisq. secum ipse consentit de palmo, & cubito vter maior sit? nõne per metiendi peritiam? AL. Quidni? SOC. Nonne scilicet priuatim & publice? AL. Imò. SOC. Et de ponderibus eodem pacto. AL. Assentior. SOC. Consensus igitur, quem dicebas, quisnam est? circa quid? quæ ars eum præstat? Etenim iste consensus talis est, ut in sit Reipub. & priuato unicuique ad seipsum, & ad alios. AL. Consentaneus. SOC. Quis igitur est? ne pigeat respondere, ac promptè dic. AL. Reor equidem esse amicitiam, & consensionem qua pater, ac mater filium, & frater fratrem, & vxor uirum amantes consentiunt. SOC. Putasne, ò Alcibiades, virum cum vxore circa lanificium conuenire, impeditum cum perita? AL. Nequaquam. SOC. Neque oportet quidem: muliebris enim hæc disciplina est. AL. Profecto. SOC. Quid vero mulier cum viro circa opus militare conueniet, cum id haudquaquam didicerit? ALC. Minime. SOC. Virile enim id rursus esse diceres. AL. Equidem. SOC. Sunt ergo disciplina quedam mulierum, quedam virorum, iuxta hanc sententiam tuam. AL. Quidni? SOC. In his itaque mulieribus, cum viris consensus est nullus. AL. Nullus. SOC. Neque amicitia igitur: si quidem amicitia consensio quedam est. AL. Non videtur. SOC. Ideoq. quatenus mulieres officia sua exercent, non amantur à uiris. AL. Non apparet. SOC. Neque viri etiam à mulieribus, dum virilia tractant. AL. Non. SOC. Non ergo tunc optimè ciuitates instituantur, cum singuli operibus suis incumbunt. AL. Ego tamen id, ò Socrates, arbitror. SOC. Quomodo hoc ais amicitia sublata, qua præsentem confessi sumus bene con-

stitui ciuitates, aliter uerò contra? AL. Atqui mihi uideatur ob hoc inter hoies consistere amicitiam, quòd quisq. suum officium exequatur. SOC. Atqui aliud paulo antè dicebas: nunc autem quo pacto rursus ais consensione adhibita amicitiam fieri, an potest circa hæc consensus existere, quorum ij quidem periti, ij uerò imperiti sunt? AL. Fieri non potest. SOC. Iustine an iniusta faciunt, cum singuli qua ad se attinent, exequuntur? AL. Iusta profecto. SOC. Iuste igitur agentibus ciuibus, in ciuitate nõ est amicitia. AL. Neccessariu hoc itidem videtur, ò Socrates. SOC. Quam itaq. dicis amicitiam siue consensione, circa quam nos sapientes, & consultores esse oportet, ut boni viri simus? Neg. n. percipere possum quæ nam sit, aut quibus in rebus existat: cum ex oratione tua interdum in eisde inesse, nonnunquam ab eisdem abesse uideatur. AL. Per Deos, ò Socrates, ne ipse quidem quid dicam, intelligo: uideoq. iandiu meipsum fefellisse, cum turpissime habeam. SOC. Considerare decet. Nam si hoc demum animaduertisses, annos quinquaginta natus, arduu sanè foret teipsum curare: nunc uero in ea es ætate, in qua id aduertere decet. AL. Quid igitur hoc aduertentem facere oportet? SOC. Responde ad ea quæ interrogabo te, Alcibiades. Quòd si feceris, ac Deus uoluerit, si qua modo fides meis est vaticinis adhibenda, tu simul, & ego melius habebimus. AL. Ita erit quòd ad me respondentem attinet. SOC. Age, quid est seipsum curare, ne saepe nosipsum fallamus, non curantes nosmetipsos, cum belle curare putemus. Et quando id homo facit, nõ quoties suorum, toties et sui curam habet? AL. Mihi quidem videtur. SOC. Quid? num pedes tunc quis curat, cum ea quæ pedum sunt curat? AL. Non intelligo. SOC. Dici sane esse aliquid ipsius manus, quemadmodu anulus est? AL. Dico equidem. SOC. Num alterius membri, digiti anulum esse censes? ALC. Minime. SOC. Et pedis calcem eodem modo? AL. Ita. SOC. Cum calceorum curam gerimus, num & pedum cura est? AL. Haud satis te teneo, ò Socrates. SOC. Quid uero, ò Alcibiades, uocasne aliquid rectam alicuius curationem? AL. Voco. SOC. An non cum quid melius sit, tunc rectè curatum dicis? AL. Dico. SOC. Quæ ars calceos meliores efficit? AL. Cerdonica. SOC. Cerdonica igitur calceorum curam habemus? AL. Hac ipsa. SOC. Num quid & pedes et cerdonica? vel ipsa potius qua pedes reddimus meliores? AL. Illa. SOC. Pedes autem meliores, nõne qua & reliquum corpus? AL. Videtur. SOC. Hac nõne gymnastica? AL. Maxime. SOC. Ergo gymnastica pedes curamus, cerdonica uero illa quæ pedum sunt. AL. Prorsus. SOC. Et gymnastica quoque manus, anulatia uero illa, quæ sunt manuum. AL. Sic est. SOC. Et gymnastica corpus, textoria autem & alijs facultatibus, ea quæ corporis sunt. AL. Omnino. SOC. Alia igitur arte unumquodque, alia quæ illius sunt, curamus. AL. Videtur. SOC. Non ergo cum sua quis, tunc etiã se curat. AL. Nullo pacto. SOC. Non. n. eadè ars, ut videtur, quæ nos, et quæ nostra curat. AL. Non apparet. SOC. Age itaq. quænam arte nosipsum curare possumus? AL. Non habeo quid dicam. SOC. At hoc tamen inter nos conuenit, quòd non qua nostrorum aliquid melius efficimus, nos curamus: uerum qua nosipsum ad meliorem frugem corrigimus. AL. Veras narras. SOC. Nosse ne unquam licet, quæ ars meliorem facias calcem, nisi calcem ipsum no-

Quid sit seipsum curare.

re. huiusmodi...

re. huiusmodi...



uerimus. A. L. Fieri nequit. S. O. C. Neque etiam quæ anulum efficit meliorem, ignorant anulum. A. L. Verum. S. O. C. Sciemusne unquam qua arte meliores euadamus, quædum nos ipsos ignoramus? A. L. Nunquam. S. O. C. Vtrū facile quiddam sit seipsum cognoscere, ac ridiculus fuerit, qui templo Apollinis id inscripsit, an potius arduum quippiam, nec cuiusvis hominis est? A. L. Mihi quidem, o Socrates, aliquando visum est facile, & cuiusvis esse, nonnunquam vero omnium difficilimum. S. O. C. Sed siue facile hoc sit, o Alcibiades, siue difficile, nobis sane sic se habet, ut hoc intelligentes, et quæ ratione curandi sumus, intelligamus; ignorant vero contra. A. L. Est ut dicis. S. O. C. Age, quo illud ipsum inueniemus, sic enim fortassis quid simus ipsi inuenire poterimus. At hoc ignorantes nunquam. A. L. Recte loqueris. S. O. C. Attende ergo per Deum, cum aliōne, quam mecum tu disputas? A. L. Tecum. S. O. C. Et ego nonne tecum? A. L. Et tu mecum. S. O. C. Socrates igitur est, qui disputat. A. L. Est. S. O. C. Alcibiades vero qui audit. A. L. Ita est. S. O. C. Nonne ratione Socrates disputat? A. L. Quidni. S. O. C. Disputare autem & ratione uti, idem quodammodo vocis? A. L. Idem. S. O. C. Utens autem & quo utitur, nonne aliud? A. L. Quomodo dicis? S. O. C. Quem admodum cerdo incidit quidem circulari, & semicirculari organo, atque alijs instrumentis. A. L. Est ut dicis. S. O. C. Nonne aliud quiddam est qui diuidit, & quo diuiditur quicquam? A. L. Quidni? S. O. C. Itē aliud citharædus, aliud quo citharā pulsat? A. L. Aliud. S. O. C. Hoc paulo ante interrogabam, an utens & quo utitur, semper aliud esse videatur. A. L. Videtur. S. O. C. Cerdonem incidere dicimus instrumentis tantū, an etiam manibus? A. L. Et manibus. S. O. C. Et ijs ergo utitur. A. L. Utitur. S. O. C. An non & oculis utens coria incidit? A. L. Prorsus. S. O. C. Utentem vero aliud quiddam ab ijs quibus utitur, esse concessimus. A. L. Concessimus. S. O. C. Cerdo igitur & citharædus aliud quiddam sunt, quam oculi & manus quibus utuntur. A. L. Apparet. S. O. C. Nonne toto corpore homo utitur? A. L. Penitus. S. O. C. Aliud utique utens, & quo utitur. A. L. Sic est. S. O. C. Homo ergo a suo corpore aliud est. A. L. Videtur. S. O. C. Quid est igitur homo? A. L. Ignoro. S. O. C. Scis esse, quod corpore utitur. A. L. Scio. S. O. C. Aliudne utitur ipso, quam anima? A. L. Nil aliud. S. O. C. An non imperans? A. L. Imperans. S. O. C. Quinetiam neminem hoc aliter estimaturum puto. A. L. Quidnam? S. O. C. Quis ex tribus, unū aliquid homo sit. A. L. Ex quibus? S. O. C. Aut animam videlicet, aut corpus, aut totum ipsum ex utrisque compositum. A. L. Quidni? S. O. C. Veruntamen id quod imperat corpori, hominem esse confessi sumus. A. L. Confessi sumus. S. O. C. Quid igitur homo? Num sibi ipsi corpus imperat? A. L. Nullo modo. S. O. C. Subijci enim illud diximus. A. L. Certē. S. O. C. Non est igitur hoc quod querimus. A. L. Non ut videtur. S. O. C. At utrunque simul forsitan corpori dominatur, atque id homo est. A. L. Fortē. S. O. C. Imo minime omnium: nam altero illorū non dominante, nulla coniectura est, ut simul utrunque domineatur. A. L. Recte loqueris. S. O. C. Cum vero nec corpus, nec simul utrunque sit homo, restat ut arbitror, aut nihil omnino hominem esse, aut si quid est, nihil aliud, quam animam esse. A. L. Prorsus. S. O. C. Adhucne liquidius

Aliud esse  
id quod utitur,  
& quo  
utitur.

Homo a  
liud quam  
corpus suū.

Hominem  
non aliud esse  
se quam animam.

monstrari tibi oportet, animam esse hominem? A. L. Non per Ionem: hæc enim sufficere mihi uidentur. S. O. C. Et si non in integrū hæc discussa sunt, mediocriter tamen inducta in presentia sufficiunt. Nam tunc demum penitus comprehendemus, cum inuenierimus quod nunc, quia ampliore indagacionem requirebat, prætermisimus. A. L. Quid istud? S. O. C. Paulo ante sic est dictū, quod prius considerandū sit ipsum idem, nunc vero pro eo quod quidē est ipsum idē, considerauimus ipsum unumquodque, quid est. Idque forte sufficet. Nihil enim in nobis ipsis esse maius, quam animā dicere possemus. A. L. Non certē. S. O. C. Nonne sic putandū est, me scilicet ac te conspirare inuicem animā ad animam sermone utentes? A. L. Et maxime quidem. S. O. C. Hoc itaque erat quod paulo ante dicebamus, quod Socrates cum Alcibiade disputat, oratione utens non ad personā tuam, ut apparet, sed ad Alcibiadem verba dirigens: hoc autem anima est. A. L. Mihi sane videtur. S. O. C. Animā igitur nosse iubet, qui præcipit, Nosce te ipsum. A. L. Videtur. S. O. C. Quicumque igitur corpus cognoscit, sua quidē, non seipsum nouit. A. L. Sic est. S. O. C. Atque ideo nullus medicus ut est medicus, neque gymnasticus ut gymnasticus sese nouit. A. L. Nō ut videtur. S. O. C. Multo minus agricola alijque opifices se cognoscunt: neque enim se, neque sua, sed remota a quædam artium suarum expendunt, ijs enim intenti sunt, quibus corpus curauit. A. L. Vera narras. S. O. C. Quare si prudentia est seipsum nosse, nullus istorum secundū suam artem est prudens. A. L. Non ut videtur. S. O. C. Ob hoc mechanicæ artes istæ, non autem boni viri disciplina videtur. A. L. Prorsus. S. O. C. Nonne rursus quicumque corporis curā habet, sua quidem, non seipsum curat? A. L. Apparet. S. O. C. At uero cui pecuniæ cura sunt, nec se, nec sua, sed quæ procul a suis sunt, curat. A. L. Videtur. S. O. C. Non ergo suis indulget, qui pecunias cumulat. A. L. Recte. S. O. C. Quisquis et corpus Alcibiadis amauit unquam, non Alcibiadem ipsum, sed quæ Alcibiadis essent, amauit. A. L. Vera loqueris. S. O. C. Qui vero te amat, amat animam. A. L. Necessario sequi ex ratione tua videtur. S. O. C. Nonne tui corporis amator, cum primum species deflorescit, abiens deserit? A. L. Apparet. S. O. C. At vero qui animam tuā diligit, nunquam deserit, donec ad meliorem frugem peruenias. A. L. Consentaneum. S. O. C. Hanc ego ob causam te minime desero, verum in amicitia perseuera, reliquis senescente corpore abeuntibus. A. L. O quam bene facis mi Socrates, ne in posterum me deseras obsecro. S. O. C. At enitere, ut quam pulcherrimus sis. A. L. Conabor. S. O. C. Sic se tua res habet: nec fuit unquam, nec est, ut opinor, Alcibiades Clinia filij amator. Illus præter unum & illum quidem amabilem Socratem Sophronisci & Phenaretæ filium. A. L. Vera dicis. S. O. C. Nonne dixisti me aliquantum præuenisse, cum te salutatum uenissem? nam statuisse te qui prior me ipsum conuenires, interrogaresque, quam obrem solus ego te non reliquerim. A. L. Sic erat. S. O. C. Hæc procul dubio causa, quoniā amator tui solus eram, ceteri vero tuorum. Tua sane labuntur tempore, tu autem nunc primum florescis: ac deinceps quidem nisi ab Atheniensi populo corrumparis, ac turpior euadas, nunquam te deseram. Id enim vehementer timeo, ne amator populi factus nobis corrumparis. Multi enim & ingenui quidem apud Athenienses id passi sunt. Nā bene personatus est magnanimi Erechtis



Erechthei populus, sed illum nudatum contueri oportet. Adhibe igitur hanc quam dico cautionem. A L. Quam? S O C. Exue illum prius, o beate, ac discite quaecumque scienda sunt antequam tractentur ciuilia, aut rempub. adeas, ferens tecum alexipharmacum, ne quid aduersi iam olim patiaris. A L. Bene mihi dicere uideris Socrates, uerum conare iam nobis exponere, quia ratione nosmetipsos curemus. S O C. Nonne satis iam a nobis in superioribus definitum est? Quid. n. finis, communi consensu definiuimus. Timebamus. n. ne in hoc decepti nos ipsos forsitan falleremus, alicuius alterius, non nostri curam habentes. A L. Est ut dicis. S O C. Deinde concessum est animae curam habendam, semperque ad ipsam respiciendum. A L. Manifestum est. S O C. Corporum uero pecuniarumque curam alijs reliquendam. A L. C. Quidni? S O C. Quoniam igitur pacto ista perspicue nosceremus, siquidem hoc intellecto nos quoque ipsos intelligimus? an forte per deos Delphicam illam inscriptionem recte monentem, cuius supra mentionem fecimus, nondum intelleximus? A L. Quidnam sic ais, o Socrates? S O C. Dicam tibi quid suspicer hanc inscriptionem nobis consulere. neque uero passim eius exemplar, sed in visu solum inueniri posse uidetur. A L. Quomodo id ais? S O C. Contemplare tu quoque, si oculo nostro quemadmodum homini consuluisset, uide te ipsum, quomodo id admonuisse putemus? nonne ut in illud inspiceret oculus, ex cuius intuitu seipsum uisurus esset? A L. C. Constat. S O C. Consideremus itaque in quid potissimum intuentes, illud simul ac nos ipsos uideremus. A L. C. In specula, & alia huiusmodi. S O C. Recte loqueris, sed oculo quo uidemus, an non inest huiusmodi quiddam? A L. C. Valde. S O C. Num aduertisti quod facies hominis in ocula intuentis in oppositi visu relucet uelut in speculo, quam summam uocamus pupillam, simulacrum inspicie tuis existens? A L. C. Aduerti. S O C. Oculis igitur ita deum seipsum cernit, cum in oculum inspicit, in idque praeterea intendit, quod oculi optimum est, & quo oculus ipse uidet. A L. C. Apparet. S O C. Si autem in aliud quoddam hominis membrum respexerit, uel in quoduis aliud, praeterquam id cuius hoc est simile, haudquaquam seipsum percipiet. A L. C. Verum. S O C. Oculus ergo cum seipsum uisurus est, in oculum respicere debet, atque in eum oculi locum, in quo uirtus est oculi. Is autem uisus atque pupillae acies est. A L. C. Sic est. S O C. Eodem pacto, & anima, o amice Alcibiades, si seipsam noscere uult, in animam intueatur, in eumque praecipue locum animae, in quo inest uirtus animae, sapientia, et in aliud cuius hoc est simile. A L. C. Mihi quidem uidetur, o Socrates. S O C. Num reperire possumus quippiam in anima diuinius illo, circa quod intelligentia sapientiaque uersatur? A L. C. Nequaquam. S O C. Id igitur animae diuini simile est, in quod sane quis intuens, et omne diuinum, Deum scilicet et sapientiam cernens, ita & seipsum agnoscat. A L. C. Apparet. S O C. Seipsum uero cognoscere, prudentiam esse concedimus. A L. C. Prorsus. S O C. Si autem nec nos ipsos cognosceremus, nec prudentes essemus, possemusne nostra, seu mala, seu bona nosse? A L. C. Quomodo posset fieri, o Socrates? S O C. Impossibile tibi forte uidetur quenquam qui non norit Alcibiadem, tamē quae Alcibiadis sunt, quod sint Alcibiadis nosse? A L. C. Impossibile per Iouem. S O C. Nec nostra quod nostra sint, nisi prius nos ipsos? A L. C. Nullo modo. S O C.

Si nostra ignoremus, nec ea quae nostrorum sunt, intelligimus? A L. C. Non, ut uidetur. S O C. Non igitur recte omnino consensimus, cum supra quosdam esse assereremus, qui se ignorantes, sua tamen dignoscere. Atqui nec ea etiam quae suorum. haec enim cuncta dignoscere, unius atque eiusdem artis officium esse uidetur. seipsum scilicet, & quae sua sunt, & quae suorum sunt nosse. A L. C. Videtur. S O C. At qui sua ignorat, ignorat & aliena. A L. C. Quid ita? S O C. Num igitur si aliena, etiam quae reipub. sunt, ignorabit? A L. C. Necesse est. S O C. Nunquam ergo hic uir ciuilis fit. A L. C. Non certe. S O C. Nec aeconomicus etiam. A L. C. Neg. hoc. S O C. Nec quod agit, intelliget, A L. C. Minime. S O C. Ignorans autem, nonne errabit? A L. C. Maxime. S O C. Qui aberrat, an non male aget, & priuatum & publicum? A L. C. Quidni? S O C. Male agens, nonne miser? A L. C. Et maxime quidem. S O C. An uero & y quibus cum haec agit? A L. C. Et hi quoque. S O C. Nemo itaque felix esse potest, nisi sapiens bonusque sit. A L. C. Nemo. S O C. Sequitur, ut mali homines miseri sint. A L. C. Apprimo. S O C. Non ergo qui diues fit, sed qui prudens, miseriam uitat. A L. C. Videtur. S O C. Quamobrem nec mœnibus, nec nauibus, trirētibisque, atque naualibus, o Alcibiades, nec multitudine, nec amplitudine absque uirtute ciuitas ad felicitatem opus habet. A L. C. Non profecto. S O C. Si recte ciuitatem gubernaturus es, uirtute imbuedi sunt ciues. A L. C. Quidni? S O C. Nū dare quis potest alijs, quod ipse non habet? A L. C. Qui possit? S O C. Ergo uirtute prius ornatus ipse debet esse, quicumque non sibi tantum ac suis, sed reipub. etiam & ys quae ad eam spectant, imperaturus est? A L. C. Vera dicis. S O C. Nec igitur principatus, neque licentia quodlibet faciendi aut tibi, aut reipub. uerū iustitia potius et prudentia comparanda. A L. C. Apparet. S O C. Iuste enim ac prudenter agentes, et tu simul et tua reipub. Deo gratum opus facietis. A L. C. Decet. S O C. Et sic quemadmodum supra diximus, in diuinum splendorem intuentes agetis. A L. C. Videtur. S O C. Quinetiam illuc respicientes nosmetipsos uestraque bona perspicue discernetis. A L. C. Certe. S O C. Nonne si recte atque bene agetis? A L. C. Agemus. S O C. Enim uero fidei uerere paratus sum uos, sit ita uixeritis felices fore. A L. C. Locuples certe fidei uerere. S O C. Contra si iniuste uixeritis, intuentes in tenebras diuinitatis expertes, consimilia tenebris opera, quemadmodum necesse est, facietis, uos ipsos penitus ignorantes. A L. C. Videtur. S O C. Cui enim, o amice Alcibiades, potestas adest, quodcumque libuerit faciendi, mente uero captus est, quidnam putas illi continget? siue priuatus ille qui dem, siue reipub. sic? Veluti si egrotanti cuidam libera licentia sit, rationem medici nullam habendi, sed tanquam tyrannidem exercendi sic, ut nemo hominem absterere ualeat, quid illi euenturum putas? Nonne uerisimile est corpus iri corruptum? A L. C. Vera loqueris. S O C. Quid uero, si in nauis apud quempiam omnis licentia sit, quodcumque uideatur agendi, mente tamen & gubernandi peritia careat, nū cernis quae ei et socijs euentura sint? A L. C. Opinor equidem illum et seipsum & unā socios perditurū. S O C. Nonne igitur omni reipub. omni imperio et dominationi ubi uirtus abest, contingit, ut male agat? A L. C. Necesse est. S O C. Non ergo tyrannis optime Alcibiades, aut nobis aut reipub. paranda est, sed uirtus, modo felices esse uelimus. A L. C. Vera dicis. S O C. Ceterū antequam uirtus adsit, condu-

Nemo felix nisi sapiens. Mali sunt miseri.

Explicatio Delphicæ inscriptionis. Nosse teipm



cit viro, non solum puero, regi à meliore, quàm regere. A L. Apparet. S O C. Nonne quod melius est, idem et pulchrius? A L. Sic est. S O C. Quod pulchrius decetius? A L. Quidni? S O C. Decet itaque malum seruire: melius enim est. A L. Decet. S O C. Seruilius ergo prauitas. A L. Apparet. S O C. Liberalis aut virtus. A L. Ita est. S O C. Nonne, o amice, seruitus fugienda? A L. Maxime quidem, o Socrates. S O C. Aduertis quò te nunc habeas? utrum libere, an contra? A L. Et maxime quidem, ut mihi uideor, hoc sentio. S O C. Nostine quo pacto id quod nunc te occupat, fugare queas? nolim enim istud in claro homine nominare. A L. C. Noui equidem. S O C. Quomodo igitur? A L. Si ipse uolueris, o Socrates. S O C. Haud rectè loqueris Alcibiades. A L. At quomodo dicendum est? S O C. Si Deus uoluerit. A L. Dico equidem, atq; hoc insuper addo, periculum esse, ne figuras inuicem mutemus, tuam quidem ego induens, tu autem meam fieri enim non potest, quàm ego te deinceps ducam, tu autem à me ducaris. S O C. O generose, nihilo igitur meus in te amor à ciconia differt, si posteaquam propè te velut in nido amorem allatum fouerit, ab illo iterum nutriatur. A L. Profectò sic se res habet, & incipiam hinc iam iustitiam meditari. S O C. O quàm te perseuerare uelim. Timeo autem natura tua diffidens, huiusq; ciuitatis vim intelligens, ne ea me simul ac te vincat.

ALCIBIADES II.  
VEL, DE VOTO.

MARSILII FICINI  
ARGUMENT.



QVONIAM secundus Alcibiades liber profectò sanctissimus de voto inscribitur, summam colligendum est, quid votum, quid in voto petendum, & quando, & quomodo. Diffinitio voti partim ab Orpheo, partim à Platone sumpta hæc est: Votum est ardens affectus casti animi, deo deditus, & quod bonum videtur exoptans. tunc affectui Zoroaster & Orpheus suffumigationes & characteres adhibuerunt, quoties ad secunda numina preces dirigerentur: Mercurius ac Plato, cum supremi numinis maiestatem venerabatur, externas oēs ceremonias auferebant, solam ac puram flagrantiam animi reliquentes. Sed de his omnibus in nostris cōmentarijs diligentius. In voto petendum Plato vult bonum: idq; ex eo patet, quod petitionem hanc poeta Lacedæmoniorumq; testimonio comprobatur, eamq; tutam & prudenti esse putat, vortumq; huiusmodi, & à quolibet & semper fieri posse. Petitionem uero certi cuiusdam & proprii boni tunc demum esse securam, cum prudentiam quis fuerit consecutus, alias autem periculosam. Vbi multa de prudentia disserit, quæ tu vir omnium prudentissime Cosme lege obsecra diligenter, ut quanti faciat prudentiam, prorsus agnoscas. Vniuersalis ergo precatio, qua bonum solummodo petitur, semper fieri potest: propria uero, qua certum aliquid quod bonum videtur optatur, tunc faciendæ, cū quid petendum est quis nouerit. Tunc id noscet, cū quid bonum, quid malum est, intellexerit. Id intelliget, cum à mente didicerit. Discet, cum se ad illam conuerterit. Cōuertet, cum purgauerit animam tenebrasq; expulerit. Purgabit, cum seipsum legitime philosophia dederit. Tradet, cum suam ignorantiam recognouerit. Nosce ergo teipsum, templo Apollinis est inscriptum, ne quis temere. Deum oraturus accederet. Quo autem ordine in oratione propria sit orandum, Mercurius in orationibus suis, & in suis hymnis Orpheus, & Pythagoras in carminibus aureis docuerunt, quorum ritus alijs exponemus. Plato deinde hos theologos imitatus, in libro de pulchritudine orantē sic Socratem introducit. O amice Pan atque cetera numina, date obsecro, ut intus pulcher efficiat: quæcunque & mihi extrinsecus aduocent, intrinsecus sint amica. Sapientem solum diuitem putem. Tantum uero huius auri tradite, quantum nec ferre, nec ducere alijs quam vir temperans possit. Quid petit Socrates? Bonum. Quod bonum? Sapientiam,

Quid uotū.

Quid petendū in uoto.

Oratio Socratis ad Deos.

hoc est ueritatis diuine cognitionem, quam dare solus Deus potest, quam accipere solus animus pulcher, id est temperatus, purus, candidus ualet, Quid possit in primis? ut dignum sapientia faciat. Temerarij nempe hominis est, minus aliquod quo indignus est petere. Quis diuina sapientia dignus? qui lumen eius ferre paratus est. qui paratus? qui per continentiam primo, deinde per temperantiam, postremo per sanctimoniam, id est ciuilem, purgatoriam purgatiq; uirtutem animi, sic animum expauerit, ut pulcher, hoc est purus omni no nitidusq; euaserit: & uirtutem iam exemplarem, diuinam scilicet sapientiam solam, utpote thesaurum omnium diuitiarum optauerit. Idcirco Socrates Deum patrem oium & ministros eius amice aspirare precatur, ut illorum benigno proprioq; fuitore purgatus euadat. Corporea uero & externa leuiter pertransit, eligens illa sic se habere, ut tranquillam puritatem animi non impediant. Deinde pulchritudine hac iam parata, optat ut sapientiam solam, hoc est dei cognitionem esse opulentiam omnem sufficientiamq; æstimet, solamq; sitiat. Postremo quasi per antè dicta paratus fulgidum hoc aurum diuine sapientie postulat. Neque id superbè, neque remisè tamen. Minimam quippe ueritatis cognitionem intemperati homines sortiuntur, summam & infinitam in seipso Deus amplectitur: magnam uero & amplā uir temperans adipsit. Tantum igitur huius auri postulant, quantum solus ferre uir temperans ualet. Hoc equidem esse aurū ignium arbitror, quod emendum Ioum in Apocal. præcepit.

SOCRATES.  
ALCIBIADES.



EVME, o Alcibiades, præcaturus accedis? A L. Et maxime quidè, o Socrates. S O C. Tristitiam quandā præ te ferre uideris, et oculos in terrā figere, tanquā aliquid ipse tecū cogitans. A L. At quid cogitem, o Socrates? S O C. Maxima, ut mihi uide-

Occasio dia logi.

tur: nā dic per Iouem obsecro, nōne putas deos eorum, quæ uel priuatim, uel publice precamur, nonnunquā concedere partim, partim negare, atq; id his quidè annuere, illis uero minime? A L. O non quidem. S O C. Nōne igitur tibi uideatur magna providentia opus esse, ne quis seipsum fallat, dū magna petit mala, credens bona se petere: Dij aut in eo sint, ut rogantibus annuant? quemadmodū Oedipum ferūt obsecrasse Deum, de regno paterno, ut filij ferro decerneret. Cumq; debuisset presentium tum maloru auersione poscere, alia insuper imprecabatur. Vnde ad eum euentum ista uenerūt, atq; ex ijs alia multa et grauia, quæ referre singula nequaquā opus est. A L. At tu furentem quidem hōiem in exemplū adduxisti: nam quem putas sanæ mentis hōiem audere talia petere? S O C. Insanire nōne contrariū est ei quod est prudentem esse? A L. Prorsus. S O C. Nū, ex hōibus, alijs prudentes esse, alijs imprudentes uidentur? A L. Uidentur sanè. S O C. Age itaq; cōsideremus qui nam isti sint. Esse. n. alios quidè imprudentes, alios uero prudentes, nonnullos insanos, nam cōuenit. A L. Conuenit. S O C. Præterea bene ualentes aliqui sunt. A L. Sunt. S O C. Agrotantes alijs. A L. O non. S O C. Non ergo ydem sunt. A L. Non certè. S O C. Sūntne alijs quidā qui neutrum istorū patiātur? A L. Nequaquā. S O C. Necessè est. n. hōiem uel agrotare, uel nō agrotare. A L. Uidentur. S O C. De prudentia uero et imprudentia idem iudicas? A L. Quō dicis? S O C. Homine aut prudentem, aut imprudentem, aut tertium præterea uelut mediū quiddam esse oportere putas, quo nec prudēs, nec imprudēs sit? A L. Nihil profectò. S O C. Necessè igitur alterū istorum pati. A L. Apparet. S O C. Recordaris cōcessisse te insaniam prudentia contrariā esse? A L. Equidem. S O C. Et mediū nullam rem quæ hōiem nec prudentem, nec imprudentem efficiat? A L. C. Consensu quidem. S O C.

Negat Platō esse medium inter sanum et ægrum. Inter prudentem et imprudentem.

Quin